



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XXIII. De delictis puerorum. D. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

590 LIBER V. TITULUS XXIII.
inquirat; non obstante, quòd Reus inter-
veniente collusionem fuerit absolutus per
sententiam; quia cum sit fraudulenter ob-
tenta, ipso jure nulla est. Ita *Gonz. h. t.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

Nomine PUERORUM h. t. veniunt, qui
infantiam, i. e. septimum ætatis an-
num egressi (in qua doli capaces non sunt,
adeoque nec pœnæ gravi pro delicto sub-
jacent) annos pubertatis non attigerunt,
in quibus, ut dicitur c. i. h. t., Peccata non
„ita, ut in majoribus punienda videntur.
Quamvis si enormia crimina, v. g. vene-
ficia committant sine spe emendationis,
sintque doli capaces, ut malitia suppleat
ætatem, & annos discretionis attigisse
censeantur, ut si à pubertate non longè ab-
sint, etiam ultimo supplicio affici queant,
ut docet *Pirh. Dec. 167.* Imò Jure Civili
Judex delicta Puberum, sed minorennium,
interdum mitius punire potest, jux-
ta *Reg. 108. ff. de R. J. Ferè in omnibus pœna-
libus Judiciis & ætati & imprudentia suc-
curritur.* Quanquam crimina atrociora
in iis regulariter puniantur pœnâ ordina-
riâ. Verùm C. 2. h. t. prohibet Pontifex:
„Ne ob homicidium vel delictum filii im-
„pu-

„puberis multa pecuniaria à patre exigatur; & Lege Civili nunquam pater tenetur de suis ad pœnam pecuniariam pro delicto filii etiam puberis, quia nemo alienæ culpæ fit succedaneus, nec pater pro filio conveniendus, sed culpa suum tenet auctorem. Ita *Leur. h. t. q. 389.*

TITUL. XXIV. XXV. & XXVI.

De Clerico Venatore; de Clerico Percussore; & de Maledicis.

I. H. T. 24. statuitur c. 1. „Episcopum, „Presbyterum aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad vendandum habere non licet; quòd si quis „talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, „tribus mensibus à Communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni „officio suspendatur. Et c. 2. Omnibus „servis Dei, i. e. Clericis, ut Venationes „& sylvaticas vagationes cum canibus, „aut accipitres & ut falcones non habeant, interdicitur. Unde Clericis non prohibetur venatio modesta cum paucis canibus recreationis vel utilitatis gratiâ, (utî nec piscatio, quam Apostoli etiam post conversionem exercuerunt) sed venatio frequens & clamosa, quæ statum
Cle-